

EXAMEN CENSURÆ

EXAMEN CENSURÆ IN CAPUT VIII.

De opere Redemptionis, deq; persona  
& officiis Iesu Christi.

**I**N hoc Capite duo fatetur Censor, quæ in limine hoc notari operæ pretium est. I. Quæ Remonstr. de persona Christi traderunt, sect. III. & IV. ea sic esse concepta ut nihil habeant contra Fidei analogiã. II. Quæ de triplici officio Christi agunt, ea pleraq; omnia talia esse ut in justam reprehensionem non incurrant. Quare quæ hoc Capite de persona & officio Christi Censores censuerunt, ea non nisi inanes suspiciones & conjecturas contra apertã Remonstrantium confessionem esse, concludendum est.

Sectio prima nihil habet singulare animadversione dignum, aut ad rem, de qua hoc capite agitur, pertinens. In primo membro cum Censor generaliter colligit ex allegatorum in Declaratione locorum 1. Pet. j. 20. Eph. j. 9. 10. & iij. 9. in quibus non nisi de speciali præscientia mediatoris Christi agitur, collatione patere, *præscientiam Dei non esse nudam, sed cum æterno proposito conjunctam* non obscure innuit præscientiam peccatorum aut peccati etiam primi Adami nudam Deo tribui non posse, sed eam quæ cum proposito si-  
ve præordinatione Dei æterna conjuncta est; quod quorsum spectet nemo non videt. Sollicitæ istæ & importunæ animadversiones arguunt, quæ sententia in animo lateat, quam omni vi propugnata volunt & non suo loco, sed per occasionem tantum, quia fæda & turpis est, inculcatam. Certum enim est, per eam, Deo præscientiam veram adimi; imò Deo, proh pudor! peccata & scelera omnia tanquam authori & causæ transcribi, uti jam ante manifestum fecimus pluribus in locis.

Præscientiam  
divinam ita  
considerari  
vult Censor,  
ut necessario  
concludi de-  
beat, eam esse  
peccatorum  
omnium causam.

Quæ secundo & tertio huius ejusdem Sectionis membro censentur, ea non sunt nisi meræ λογωμαχίαι, & huc non pertinent.

Sectione III. & IV. quamquam omnia ita concepta esse fatetur Censor, ut nihil habeant contra fidei analogiam, tamen hoc ei satis non est. Suspicio ubiq; rimas quærit & invenit: Ad quamlibet periodum hæret, hæsitatq; ut

*Non misera cutem nisi plena cruoris hirudo.*

Videntur, inquit, sedulo cavisse autores ne ita se exprimerent, ut  
subter-